De villa rustica,

qualis descripta inveniatur apud rei rusticae scriptores Romanos.

Von

Adolf Wurm,

Gymnasialassistent.

Programm

des

Königl. humanistischen Gymnasiums

zu

Kempten

für das Schuljahr 1897/98.

Kempten.

Buchdruckerei der Jos. Kösel'schen Buchhandlung.

1898.

Perlustrandos quod suscepimus Romanorum de re rustica libros, inspicere licuit vitam eorum privatam in ea parte, quae summi videtur esse momenti. Semper enim agriculturae studium Romani putarunt primum ac nobilissimum, ut summi in republica viri priscis temporibus ruri potius quam in urbe habitarent ipsique aratrum regerent, ut satis est cognitum, posterioribus si non ipsi manu, at per servos vel colonos fundum colerent. Quamquam ex eis qui exstant libris iam non licet illius aetatis mores planius cognoscere, nisi per occasionem scriptores priscae simplicitatis fiunt memores. Immo iam a Catone ducimur ad eum rei rusticae statum, quo latius patet fundus, domini partes habet quodammodo vilicus, ille autem urbanis rebus occupatus nisi quibusdam anni temporibus in parte villae a rustico apparatu discreta ruri non habitat.

Itaque cum in eam potissimum partem animum habuerimus conversum, qua scriptores nostri praecepta statuant ad villam constituendam, quaestionemque instituerimus, qua ratione haec fuerit aedificata et in partes disposita, quantum pertineat ad universam villam rusticae rei servientem, unam quandam cernimus eandemque speciem, qua discedit illa in duas potissimum partes, urbanam et rusticam. In eis rursus disponendis earumque membris describendis non pariter nostri sunt copiosi. Omnium longe uberrime, quod rem universam cum studio et amore tractat, Columella dis-

serit et de urbana parte et de rustica. Hanc planius quam illam explicat Varro. Cato vero a re sibi proposita alienum putare videtur villam ipsam describere, ut ex praeceptis eius nisi exstare hanc illamve partem nihil liceat colligere. Palladius denique villae descriptioni cum tribuat satis loci, caret tamen, quod Columellam maxime transcripsit, auctoritate paulumque affert novi.

Qua re in perlegendis his scriptoribus, quorum aetatibus tempora interiacent admodum magna, ut respiciatur spatium sescentorum fere annorum, cum quam diligentissime rationem haberem, numquid posteriore aetate de prioris habitus forma esset mutatum, praeter ea, quae morum elegantia prioribus adiecit, universam partium dispositionem unam fere exstare inveni.

Itaque Varronis et Columellae potissimum auctoritatem sequendam esse arbitrati iam ipsam aggrediamur rem propositam ita, ut priore parte villae situm, altera ipsius descriptionem divisam rursus in partem urbanam et rusticam expediamus.

I. De villae situ et vicinitate.

Primum quidem si loci consideramus naturam, optimam esse medii collis positionem omnes nostri consentiunt (Varr. I. 13, 7; Col. I. 4, 10. 5, 7; Pall. I. 5, 5) respicientes aeris temperationem (V. I. 12, 3; Col. I. 4, 10; cfr. Vitr. I. 4, 1) ita ut sperni velint et montis altioris summam partem (Col. I. 4, 10; II. 2, 1) et vallem infimam (V. I. 12, 3; Col. I. 4, 10; P. I. 3, 16), illam propter ventorum imbriumque gravitatem, hanc cavendi causa aestivum fervorem hibernumque frigus, maxime autem nebularum molestiam. Mons prope villam assurgens tutelam praebeat ventorum sitque ob hoc ipsum et pastionum causa silvestris vel nemorosus (V. I. 12, 1; Col. I. 2, 3; II. 2, 1; P. I.

5, 5). Idem obiectus sit non ab ea parte, unde agrum a sole excludat, sed aut ab occidente aut a septentrione (P. I. 7, 3). Atque si eligatur collis, hic molliter sit declivis (Col. I. 2, 3; P. I. 5, 5) ipsaque aedificia, ne torrentium vis fundamenta convellat, loco nitantur paululum intumescente (Col. I. 4, 10).

Latera autem collis ea praeferuntur, quae ad meridiem vel ad orientem spectant. Quod Cato illum (c. 1, 3), Varro hunc (I. 12, 1) unum laudat, Columella (I. 2, 3) et Palladius (I. 7, 3) utrumque in aequa parte existimant, haud multum differre equidem censeo, immo utramque caeli regionem ad recipiendam solis vim salutarem pariter videri aptam, ita tamen, ut ipsa villa ad orientem potius ac, si fieri potest, ad ipsum aequinoctialem ortum convertatur, unde aer aestate umbra, per hiemem sole temperetur (V. I. 12, 1; Col. I. 5, 8). Nimirum in iis provinciis, quae ipsae sunt percalidae, ad nimium fervorem cavendum septentrionis pars utilior habetur (Col. I. 5, 5; P. I. 7, 3).

Ad eligendam bonam loci naturam praeterea plurimum refert aquam bonam vel in ipso fundo exstare vel quam commodissime eo perduci (Cat. 1, 3; V. I. 11, 2; Col. I. 5, 1; P. I. 2); propter eandem hominum pecorumque valetudinis rationem vitanda sunt loca palustria (V. I. 12, 2; Col. I. 5, 6; P. I. 7, 4; cfr. Vitr. I. 4, 1) minimeque sit villa ad haec conversa, quoniam hieme frigus, aestate exhalationes bestiolasque molestas et pestiferas praebere solet palus (V. I. 12, 2). Nec minus flumen si prope sit, frontem villae ab hoc esse aversam oportet simili ex causa (V. I. 12, 1; Col. I. 5, 4; P. I. 7, 4). Maritimi rursus fundi villam aut in litore ad ipsum maris aestum aut longius ab eo remotam esse oportet, quod modico interiecto spatio regio halitu laborat graviore (Col. I, 5, 5).

Sed ut fertilitati et salubritati loci hae serviunt rationes, ita ad utilitatem potissimum consideranda videtur

regio vicina, quae praebeat vecturae commerciique commoditatem. Optandum igitur videtur, ut villa haud longe absit a flumine ad navigandum idoneo (Cat. 1, 3; V. I. 16, 1; Col. I. 2, 3; cfr. Vitr. I. 5, 1) vel a mari (Cat. 1, 3; Col. I. 2, 3), quod quanto augeat praedii reditus, Varro exemplo demonstrat (III. 2, 17). Praeterea priores quidem (Cat. 1, 3; V. I. 16, 1) viae bonae celebrisque propinquitatem postulant. Quod mirum in modum Columella (I. 5, 6 sq.) ipsum desiderare videtur contrarium, ut villa procul sit a militari via propter praetereuntium populationes et hospitiorum molestiam, hic idem facili mercium et fructuum vectura certe non vult carere, sed ita velim hunc intellegere, ut non ipsi viae adiacere villam, sed paululum remotam eandemque deverticulis, ut videtur, cum magna via coniunctam esse utile existimet.

Ut vero quae ad rusticam rem necessaria sunt ex propinquo ideoque minore sumptu apparentur itemque quae terra vel pecudibus gignuntur facilius vendantur ac maius afferant lucrum, oppidum non ita parvum prope abesse multum interest Cat. 1, 3; V. I. 16, 3). Ceterum fundi suburbani cultores eas potius sationes pastionesque sequi oportet, quae urbano maxime serviant usui, ut pomorum causa arbusta et hortos (Cat. 7, 1; 8, 2) vel ad flores procreandos violaria, rosaria aliaque huius modi (V. I. 16, 3).

II. De villae partitione.

Discedit totius villae tractus apud scriptores nostros in duas potissimum partes, quarum una est domini sedes, quam u r b a n a m villam vocant Cato (c. 4), Varro (I. 13, 6), Columella (I. 6, 1), Palladius non inepte comparatione adhibita cum castris militaribus p r a e t o r i i nomine denotat (I. 8, 2), altera constat ex rusticis fabricis, qua re cum artiore quodam sensu r u s t i c a villa nominatur. Tertiam partem fructuariam, quam secludit partiendo Columella (I.

6, 1) cum intellegat haud dubie horrea, cellas, tabulata, ceteri rusticae significatione complecti videntur.

Quas partes praesertim in amplioribus praediis disclusas inter se fuisse efficere licet cum ex illa scriptorum partitione tum eo, quod iam Varronis aetate dominos scimus politissima sua domicilia fecisse (V. I. 13, 7; II. praef. 2, 3) neque ita valde ipsos se dedisse agriculturae studio cognoscimus (Col. I. praef. 12. 15). Quod idem probatur descriptione suburbanae quae vocatur M. Arri Diomedis villae ad Pompeios effossione ad lucem prolatae (Overbeck, Pompeji pg. 369 sq.). Quamquam superiore aetate easdem partes cohaesisse unamque rusticam fabricam effecisse nobis apparet respicientibus, quam exiguus priscis reipublicae temporibus fuerit agrorum modus ad exempla, quae affert Columella commemorando Cincinnatum illum et C. Fabricium et Curium Dentatum (Col. I. praef. 13. 14). Haud dubie vero hoc intellegitur idem e Vitruvio (VI. 8, 2) iubente „qui fructibus rusticis serviant" i. e. qui victum necessarium agricultura parent, „in eorum vestibulis stabula, tabernas fieri, in aedibus cryptas, horrea, apothecas ceteraque, quae ad fructus servandos magis quam ad elegantiae decorem possint esse". In minoribus igitur praediis etiam postea habitationis*) membra cum rustico apparatu permixta esse putandum.

1. De villae parte urbana.

Iam incipiamus describere villam ab urbana parte, domini habitatione. De qua cum Cato nihil amplius praecipiat nisi qua delutetur materia (c. 128), posteriores praecipua eius membra, quatenus certam singulis caeli regionem putent utilissimam, denotant non ita quidem, ut omnes domicilii partes accuratius exponant, immo vero, quoniam nihil aliud nisi praecepta describere volunt utilia, multa nobis intacta relinquunt, quae e monumentis scriptoribusque aliis sunt colligenda.

* In usu vocabulorum secutus sum scriptores nostros.

Ipsam urbanae villae, quae ruri est, naturam membrorumque dispositionem ita optime licet cognoscere, ut qua ratione rustica civis vita ab urbana differat, mente fingamus, fingendo autem etiam aedificiorum discrimina inveniamus maxime memorabilia. Atque cum ruri vacet dominus officiis civilibus, atrium ut illa domus pars, quae cum pristinis temporibus familiae fuerit sedes, nostrorum iam aetate non tam huic, quae in peristylium se recepit, quam clientibus praebet aditum, fit supervacuum, vel si exstat non inter ianuam et peristylium constitutum est, sed in ea parte, quae patet ad regionis amoenitatem. Qua re qui per ianuam introierit, non sicut in urbe prius in atrium, tum ad peristylium veniet, sed hoc prius quam illud ingredietur (cfr. Vitr. VI. 8, 3; Overbeck, Pompeji pg. 370).

Deinde differt, quod ruri villa secus atque in urbe aedes largiore illustranda videtur luce ideoque latiores habet extrinsecus fenestras, ut plane recipiatur aeris salubritas et varius circum regionis et aedificiorum aspectus animos delectet (P. I. 8, 2; 9, 1).

Tertium intersit inter urbanam ac rusticam sedem, quod villa plerumque non edita videtur pluribus tabulatis. Imponi planis membris saepissime triclinia videntur, ut efficias e Vitruvio (VI. 6, 7); Palladius hiberna aedificia super balneis constitui putat non inutile (I. 39, 5). Sed plerumque non altius quam ut planae fabricae unus tractus superponeretur, exstructam esse villam censeo.

Partes autem domicilii nominantur a nostris cenationes, cubicula (V. I. 13, 7; Col. I. 6, 1; P. I. 12), quae membra circum peristylium fuisse videntur (cfr. Overbeck, pg. 370).

Adiunctas villae designat etiam balneas Columella (I. 6, 2) et Palladius (I. 39, 1), quas tamen Varro (I. 55, 4) praetereundo semel nominat cum gymnasio ita, ut pertine-

antne ad villam necne haud facile intellegatur. Certe perraro hoc tempore balneae ad villam accessisse videntur, quoniam lavatio etiam tum praebebatur apparatu admodum simplici, uno in cubiculo culinae adiecto (Marquart, römische Privataltertümer pg. 264).

At Columella iam rustici balnei facit mentionem (I. 6, 19) dediti servorum usui indeque distinguit domini balnearia (I. 6, 2), quae tamen non amplius describit et Palladius balnei structuram, siquidem per aquae copiam fieri possit, haud alienam arbitratur (I. 39, 1) uberiusque idem exequitur, quo modo optime instituatur. Quam rem nos paulo infra tractabimus.

Etiam ambulationum meminit Columella (I. 6, 2). Quas Gesner in commentario suo (v. Schneider) putat collocatas ad coniungendas dispersas aediculas, equidem non item existimo. Sed quod scriptor ut meridiei aequinoctiali subiciantur suadet ad temperandum hiemis frigus et evitandum aestatis calorem, magis placet refugium hoc fuisse temere ambulantibus quam ex uno domus membro in alterum permeantibus. Accedit, quod ne late dispersas suspicemur habitationes, repugnat Palladii praeceptum (I. 9, 1), quo hiemales et aestivae mansiones breviter collectae esse iubentur. Quod autem quadratum rectis angulis non omnia simul singularum caeli regionum commoda potest recipere, non est, quin etiam polygoni formam obliquis angulis electam esse existimemus, quippe quod reliquiis monumentorum non improbetur (Overbeck, pg. 370), si non id potius iudicamus re vera propter varia impedimenta et fortuita ab aedificantibus non omnia, quae scriptores statuunt, praecepta servari potuisse, ut haec secundum illos exstructa villa sit quasi commenticia.


Quamquam ita certe villae aedificatores fere semper cavisse videntur solis aestum et frigoris gravitatem, ut ad vespertinum usum triclinaria quidem hieme in parte ad

meridiem vel occidentem spectante, aestate ad orientem vel septentrionem collocarent (V. I. 13, 7; Col. I. 6, 1; P. I. 9, 1), cubiculis, ubi ceteris diei temporibus ac noctu versarentur, diversa latera, hibernis orientem, aestivis meridiem darent (Col. I. 6, 1). Situm ad meridiem vel potius ad occidentem versum postulant item ob usum vespertinum balnea (Col. I. 6, 2; P. I. 39, 1).

At posteriores, Columella et Palladius, accuratius distinguunt orientis solis et occidentis regionem anni tempus respicientes in ortum vel occasum aequinoctialem, brumalem, solstitialem; quas plagas, cum in Italia ortus solis brumae tempore ab ipso oriente ad meridiem vergat angulo triginta duorum graduum, sub solstitium eodem modo ad septentrionem, itemque se habeat occasus, nos aptissime significamus nostris vocabulis ost, ost-süd-ost, ost-nord-ost, west, west-süd-west, west-nord-west. Quod autem Columella etiam meridiem, quem constet unum semper esse et eundem, ipsum discernit aequinoctialem (I. 6, 2) et brumalem (VIII. 8, 2) vel hibernum (IX. 5, 1), quamvis notionem falsa significatione designasse videtur. Cum Gesnero (v. Schneider, comm. ad l. c.) equidem aequinoctialem meridiem cardinem ad limitem decumanum directum, brumalem vel hibernum paululum ad orientis regionem vergentem velim interpretari. Illud ex analogia quadam orientis et occidentis liceat suspicari, hoc eo maxime, quod sole quoque hiberno apud Palladium (I. 37, 7) idem necesse est significari, quod apud Varronem (III. 16, 12) et Columellam (IX. 5, 1) oriente designatur brumali vel hiberno.


Sequamur igitur nostrorum institutionem subtiliorem, ut singulis villae membris optimam partem tribuamus. Columella enim cum censeat, ut hiemalis temporis cubicula orientem brumalem, cenationes i. e. triclinaria occidentem aequinoctialem spectent, aestiva rursus cubicula ad meridiem aequinoctialem, eiusdem temporis cenationes ad hibernum orientem vertantur, balnearia denique, quae hic item urbano

tractui adnumerantur, occidentis solis aestivi lumen recipiant (I. 6, 2), formam inde quinquangularem fuisse necesse est efficere, quam haec adumbratio faciat clariorem. Septentrionis pars, quae hic plane neglegitur, cellis penariis, foco aliisque ad familiae usum membris destinata videtur.




a: cubicula hiemalia, cenationes aestivae; b: cubicula aestiva; c: cenationes hiemales; d: balnearia.

Minus accurate Palladius aedes describit cubiculis et tricliniis mansionum notione in unum comprehensis. Designat hic (I. 9, 1) hibernis mansionibus eas partes, quas possit hiberni solis totus propemodum cursus hilarare, i. e. meridiem et occidentem hibernum, aestivis autem orientem solstitialem et partem septentrionis, quae consentanea fere videntur Vitruvii rationi (VI. 7, 1). Idem quod (I. 8, 3) praescribit, ut totus fabricae tractus unius lateris longitudine meridianam partem respiciat in primo angulo excipiens ortum solis hiberni et paululum avertatur ab occidente hiemali, nos hic quoque quinquangularem villae formam intellegimus.



a, b, c: mansiones hibernae, balneum; c: balneum; d, e: mansiones aestivae.

Interest inter Palladii et Columellae descriptiones hoc unum, quod ille aestivas mansiones in orientis solstitialis septentrionisque plaga collocat, hic eiusdem temporis membra ad meridiem et orientem hibernum facit spectantia. Nos autem in hac re Palladio potius accedimus aestivo usui cum Vitruvio septentrionis partem magis quam meridiei assignanti; Columellae autem rationi, quae praeferat meridiem, haud scio an subsit error.



a: triclinia verna et autumnalia, cubicula, bibliothecae; c: triclinia hiberna, balneum; d: triclinia aestiva.

Liceat comparandi causa etiam Vitruvii afferre descriptionem. Collocat hic ad orientem versum verna et autumnalia triclinia, tum promiscue cubicula et bibliothecas, ad septentrionem triclinia aestiva, hiberna ad occidentem hibernum ibidemque balnea, ut hinc quoque efficiamus obliqui anguli formam.

Palladius balneo lumina dari iubet a parte meridiana et occidentis hiberni, ut sit natura calidum et siccum (I. 39, 1), qua re in angulo ad meridiem et occidentem spectante poni balneum necesse est. At quod iam distinguit de piscinalibus cellis aestiva atque hiberna balnea illaque a septentrione, haec a meridie existimat illustranda (I. 39, 4), inseri possunt ceteris habitationis membris hac una condicione, ut cum fenestras habuerint plerumque in cameris ita perforatis impressas (Overbeck, Pompeji pg. 204), camerae super ceterum huius lateris tractum sint editae, ne lumen a tribus ut supra diximus partibus simul admitti prohibeatur.

Quantum ad materiem et structuram huius praetorii pertineat, praeter subtiliorem operis tectorii politionem hoc non multo differre ab aedificiis rusticis videtur. Hanc rem

mirum est nostros nisi Catonem et Palladium non curare. Struebantur parietes Catonis quidem temporibus aut caementis aut lapide (14, 1 et 14, 4) i. e. aut saxo non formato aut quadrato; posteriores iam noverunt tertium genus latericium, quo adhibetur terrena materia ad duorum pedum longitudinem, unius latitudinem, altitudinem quattuor unciarum (Pall. VI. 12) formata atque igne durata (Vitr. VI. 11, 9; P. I. 11). Latericiis parietibus in summa sub tecto parte ut a pluvia vi tutiores fiant, structura testacea, quae testis vel lapidum fragmentis cum calce paratur, imponitur sesquipedem alta ipsaque coronas sub tecto prominentes efficiens (P. I. 11; Vitr. II, 8, 18).

Fundamenta, quae supra terram uno certe pede emineant (Cat. 14, 4) crassiora fiant quam parietes (Vitr. I 5, 1) ab utraque parte semipede (P. I. 8, 2), alta autem pro soli cui immittantur natura (P. I. 8, 2).

Tectum paratur tegulis, quae hinc nominantur, planis plerumque, colliciaribus i. e. curvatis in angulis (Cat. 14, 4). Palladius etiam solaria in calidis quidem regionibus utilia commemorat. Pavimentum his ita paratur, ut infimi sint tabularum ordines, super his rudus pedis crassitudine, tum bipedae sternantur coniunctae inter se per canaliculos calce oppletos, postremo testaceo inducto tesserae vel tabulae marmoreae imprimantur (P. VI. 11).

Habitationem delutari politius ac meliore ut videtur materia quam cetera membra iubet Cato (c. 128), cum postulat terram cretosam cum amurca mixtam inditisque paleis. Apud Palladium ab interiore parte parietum tectorium fit etiam subtilius, cum corium ex arena ac calce inductum marmore tuso cooperitur itaque soliditatem ac nitorem recipit, saepe dealbantur quoque parietes adhibito certo calcis genere (P. I. 14).

Satis attendit idem pavimenta (I. 9, 1), quae ex tribus praecipue inter se superpositis partibus vult constare,

primum quidem duplici ordine transverso et directo tabularum quernearum vel aesculearum, deinde inducto rudere ex contusis saxis ac calce, tum superfusa mixtura, qua coeant carbones obtriti cum sabulone et favilla et calce. Quod pavimenti genus est cum in hibernis aedificiis propter siccitatem et calorem tum in tricliniis, ubi effusa celeriter exsorbeat. In aestivis conclavibus pavimentum est similiter testaceum vel marmoribus quadratis vel tesseris i. e. cubis lapideis vel scutulis sive tabellis tenuioribus constratum (I. 9, 5).

Camerae efficiuntur adhibitis subtus asseribus cupressi ac cannis iisque trulla indito opere tectorio, quod ipsum marmoreo pulvere cum calce permixto levigatur et subtilissime politur (P. I. 13).

De mensurae ratione ad cubiculorum et tricliniorum magnitudinem servanda Palladius hoc unum statuit (I. 12) altitudinem aequalem fieri dimidiae parti eius modi, quem efficiant consummatae longitudinis et latitudinis mensurae, quod idem censet Vitruvius (VI. 3, 8; 5, 1) in longitudinem duplicem latitudinis mensuram utilem existimans.

Quem intrinsecus aspectum praebuerit praetorium, non ita copiose exposuerunt nostri, quippe qui rusticam potissimum rem tractare voluerint. Ex uno Varrone cognoscere licet obiter, quomodo divites quidem agrorum possessores sua domicilia exornaverint. Queritur enim nimia aetatis suae luxuria urbanas villas fieri quam maximas ac politissimas (I. 13, 7), ut neglegantur rusticae rationes, alioque loco (III, 2, 4) commemorat artificia musiva in parietibus ac pavimentis (emblemata et lithostrota), pretiosissimorum varietatem colorum (minium et armenium), tectorii splendorem, quem efficiat citrum et aurum, atque etiam bibliothecas (cfr. III. 1, 10) pictorumque et statuariorum opera sedi rusticae decori fuisse iam illa aetate putandum est (III. 2, 8).

Restat, ut balnei fiat mentio, quod quidem de nostris unus Palladius paululo accuratius describit (I. 39), ceteri nisi nominando non attingunt. Huius praecepta si comparabimus cum monumentis reliquis, exempli gratia cum balneo illius villae quae vocatur Diomedis (Overbeck pg. 372) sive cum rusticae villae balneo culinae admoto, quod exstat inventum prope Pompejos in fundo quem vocant Boscoreale (v. Atti della R. Academia dei Lincei, notizie degli scavi 1895 pg. 207), has formas in scriptoris notis haud dubie agnoscamus. Atque commemorantur cellae alterae suspensuris impositae (I. 39, 2), alterae piscinales (39, 4); illae igitur efficiunt quod vocamus caldarium, hae frigidarium cum piscinis suis aquae scilicet non calefactae; nec desunt certe apodyterion tepidariumque, quibus locis ad usum ante ipsum balneum opus est. Caldarii solum inclinatur ad eam partem, ubi fornax extrinsecus a latere caldario est supposita (I. 39, 3). Quae ipsa et ignis vaporem per suspensuras submittit ad sudatoriam maxime cellam, tum ad ceteras caldarii partes et eadem in receptaculo alto et angusto, quod miliarium vocatur, superposito aquam calefacit, quae per fistulas in solia perducitur; miliarium autem quantum aquae calefactum ad solia emittit, per alteram rursus fistulam frigidariam i. e. ex aquae frigidae receptaculo accipit.

Quod solia plurali numero commemorantur, dubium non est quin labrum et alveus, hic calidissimam, minus calidam illud continens significentur (cfr. Atti l. c. pg. 210; Overbeck pg. 209 et 373). Haec duo solia aqua differentis caloris impleta interpretari, etsi Palladius alterum non nominavit aquae receptaculum, monumenta tamen respicientes ne cunctemur, quod idem aquae perductionem amplius exponere etiam ad piscinales cellas omisit, nos autem posterius Palladii tempus ad simpliciorem balnei apparatum redisse non licet existimare. Ceterum Palladius hic quoque compendium Vitruvianae architecturae transcripsit, quod idem duo miliaria denotat (c. 16).

Suspensura caldarii ita instituitur, ut primum bipedarum fiat stratura, deinde super hac constituantur pilae binos semis pedes altae, uno et semisse pedibus inter se distantes, tum bipedae iterum binae superponantur eaeque postremum pavimentum testaceum induant, quod ipsum possit tesseris marmoreis obtegi.

Cellae, in quas per suspensuras vapor perducitur, formam habent ad vim eius melius concludendam oblongam ita ut latitudo duas eius mensurae habeat partes, quae est longitudinis.

Camerae fiunt optime Signinae i. e. e materia, cui nomen esse constat ab urbe Signia inventrice, gypso simili et permixta cum lateribus rubri plerumque coloris contusis (Overbeck pg. 506). Sed tabulae quoque adhibebantur virgis ferreis et arcubus superfixae vel item bipedae, quibus testaceum opus dealbatum erat superinductum (I. 39, 5).

Piscinales cellae (39, 4) piscinas praebent ad frigidam lavationem maioresque si sunt, locum dant natantibus. Mirum in modum de piscinalibus cellis distinguit ille aestiva et hiemalia balnea, ut in illis a septentrione, in his a meridie lumen accipiant cellae, cum alias neque ipse item discernat balnea neque huius rei scriptores aut veteres (cfr. Vitr. V. 10) aut recentiores mentionem faciant eiusmodi praeter architecturae quod supra diximus compendium (c. 16), quod tamen hoc quoque loco scriptor noster temere secutus esse videtur. Qua re non passim bipertito constituta in aedificio balnea censemus, immo vero licet fuerint interdum bina diversa, plerumque hoc ad piscinas praeceptum ita servatum esse putandum, ut aut piscinales tantum cellae exstarent binae, altera ad septentrionem, altera ad meridiem spectans aut eadem cella duas simul haberet ad utrasque plagas diversas fenestras, alteram patentem, clausam alteram pro temporis anni natura. Quod ne a significatione quidem vocabuli balnei abhorret, quae aequa fit interdum ac lavationis, ut hic aestiva balnea pro lavatione aestiva accipiamus (cfr.

‚pridiana balnea‘ apud Plinium). Haec de urbano aedificio tradiderunt nostri.

2. De villae parte rustica.

Transeamus nunc in rusticam villae partem ad universam agriculturam et rem pecuariam pertinentem, quam quidem Columellam sequentes (I. 6, 1) bipertito rursus diiungamus in ipsam partem rusticam ut cotidiano operi rustico servientem et alteram, quam ille vocat fructuariam, condendis praecipue fructibus designatam.

Atque in ipsa rustica parte medium quodammodo locum tenet culina, quo conveniunt servi ad cibum capiendum (V. I. 13, 2; Col. XI. 1, 19), sed etiam alias, hieme potissimum versantur, cum vacant agresti opere ad fabricanda rustica instrumenta (V. I. 13, 2; Col. I. 6, 3; XI. 2, 90). Qua re est ampla pro mancipiorum numero ac pro praedii magnitudine; altitudo autem, quoniam in veterum aedificiis non canali fumus recipitur et in altum perducitur, sed foramine tantum tecti emittitur (Schneider ad Col. I. 6, 3), magna ne tignis a foci igne fiat periculum. In media culinae parte collocatus est focus cum lare domini (Cat. 143, 2; Col. XI. 1, 19 circa larem domini familiaremque focum; cfr. Not. degli scavi l. c. pg. 208). Adiacentes autem culinae facile suspicemur servorum cellas (i. e. cubicula) cum vilici ac procuratoris habitatione et hac ipsa re et eo, quod hanc culinae admotam esse iubet Varro (I. 13, 2), custodes autem, qui videant ut suo quisque loco noctu cubet (Cat. 5, 5), quam proxime a custodiendis abesse oportet. Admotae autem ab meridie plerumque videntur (Col. I. 6, 3). Vilici habitationem huc certe accedentem cum iuxta ianuam esse velint Varro (I. 13, 2) et Columella (I. 6, 6) ab hac parte certe clausam existimamus villam introitum nonnunquam ostiario custodiente (Varr. ibid.; cfr. Cat. 5, 5). Cato quod etiam alteram commemorat ianuam, ‚quam volet dominus‘ (c. 14, 2) hanc pertinere ad ipsius domini in suam

habitationem introitum puto, imprimis si haec cum rustico apparatu est coniuncta. Supra illam quam commemoravimus ianuam exstat **procuratoris habitatio**, qui cum rationem reddat domino reditus et impensarum, cum omnem familiam tum vilicum ex propinquo debet observare Col. I. 6, 7). Escendere igitur licet in superiorem familiarici domicilii partem, quae ipsa haud aliter atque in plano sita cellas continere videtur servorum. In eadem parte sunt certe etiam ea loca, ubi versantur mancipia in domesticis operibus, velut textrinum, histon (V. I. 2, 21), lanificium (Col. XII. 3, 6 et 8), cum eos fabros, qui graviore utuntur materia, foris habuisse officinas sit consentaneum, velut commemorat Palladius (I. 6, 2) ferrarios, lignarios, doliorum cuparumque factores. Ne praetereamus hic **valetudinarium**, cuius memor est Columella (XI. 1, 18; XII. 3, 7) ut eiusmodi conclavis, quod cum recipiat servos morbo laborantes vel defatigatione confectos, aere certe ac luce serviat valetudinis rationi. Subterraneo cellisque familiae subdito **ergastulo** clausi habentur servi compedibus vincti ibique subeunt officium sub acriore videlicet custodia (Col. I. 6, 3; XI. 1, 22); lumen accipit hoc receptaculum per fenestras non raras quidem, sed perangustas (Col. ibid.) tamque editas, ut manibus contingi non possint.

Quae membra ut servorum receptacula ne iis quidem praediis deesse apparet, quae exercenda liberis collocantur hominibus, quos vocant colonos. Namque non totus solebat fundus ita collocari, ut servi omnino non adessent, sed partim a liberis colonis partim a servis sub vilici et procuratoris custodia administratus esse videtur, quod amplius docet Fustel de Coulanges, Le domaine rural chez les Romains. (Revue de deux mondes LXXVII, pg. 857 sq.)

Hi coloni, a quibus distinguas mercennarios, qui certis temporibus anni velut ad messem exsequendam, ut compleant operarum numerum necessarium, mercede scilicet conducuntur, ipsi sibi colunt fundum reddentes domino pro

certa reditus parte pecuniam et habent suas quisque in conducta fundi parte casas, quae tamen a nostris praesertim cum non ita prope ad villam accessisse videantur, plane praetereuntur (Fustel de Coulanges, pg. 861).

Sed ut redeamus ad culinam eiusque vicinitatem, quasi appendicem huic accedere putandum est balneum rusticum, quo feriis utitur familia (Col. I. 6, 19). Latus huic quoque datum esse, quod spectaret ad occidentem, efficiamus ex dominici quadam balnei analogia, quod idem probatur ex monumento quod exstat in Not. d. sc. pg. 208. Apparatus eius quantus fuerit et qualis, quamquam non amplius fit mentio, caldario tamen etiam servos usos esse licet colligere et e scriptoris nostri cautione ne frequentiore usu corporis robur minuatur et eo, quod superponenda commemorantur ea tabulata, quae indigent fumo et vapore.

Ac primum quidem adiungi vult Columella fumarium (l. c.) ubi propere siccetur materia, deinde supra fieri apothecam, in qua vinum, cum in cella vinaria primum est purgatum, in amphoris repositum fumi vi ad praecoquem mitigatur maturitatem. Iuxta autem altera recipit vinum, si nimia haec vis vertitur ad iniuriam. In eius tabulata reconduntur, quaecumque alia fumum desiderant, velut mulsum (Col. XII. 12,2), glans (Col. VII. 9, 8), lupini fructus (Col. II. 10, 3.; P. VII. 3, 2), tum in carnarium, quod modico impleri opus est fumo, carnes salsae (Cat. 162, 3.; Col. XII. 55, 3) et uvae siccandi causa (V. I, 54, 2).

Talem igitur fingimus culinae cellarumque adhaerentium tractum, ubi versatur familia cotidiano operi dedita. Quo propter eiusdem familiae rusticum servitium quam proxime oportet accedere pecorum stabula. Pecorum cura non solum ad arationem et vecturam, sed etiam voluptatis et reditus causa cum ab aliis tum a Columella, qui ipse Catonem nostrum affert auctorem, utilissima invenitur (Col. I. 2, 5; VI. praef. 3—6). Quamquam eodem loco (§ 1) nonnullos aliter iudicasse cognoscimus et fuisse praedia,

quibus pecora deessent (Col. II, 14, 7), quae tamen colonis propriis armentis utentibus permissa equidem intellegam.

Atque in pecoribus primum et praestantissimum Varro statuit bovem (II. 1, 10; 5, 3; cfr. Col. VI. praef. 7), Ex ceteris quadrupedibus commemorat Cato equos (c. 14), oves (c. 5, 1; 30, 37, 2), sues (c. 134); alia genera complecti videtur pecoris significatione opposita bubus vel iumentis (c. 5, 7); Varro enumerat (II. 1, 12) oves, capros, sues, boves, asinos, equos, mulos, canes, eademque Columella (VI. praef. 6) et variis per occasionem locis Palladius (IV. 11, 13. 14; VIII. 4; XII. 13).

Boum autem duo videntur distinguenda genera, unum, quod ut equi ad rusticos adhibetur labores, alterum, quod domino reditus faciat; illud omni tempore anni stabulatur et habet duplicia bubilia, hiberna atque aestiva (Col. I. 6, 4), hoc hieme tantum subit tectum (Col. I. 6, 4; VI. 3, 1). Praeterea magni quoque greges longe a villa in pascuis habentur, qui hieme quoque manent sub divo clausi per noctem intra saepta ad meridiem spectantia locis sane apricis et si fieri potest, maritimis (V. II. 5, 11.; Col. VI. 22, 1.; P. IV. 11, 7).

Sed de stabulorum in ipsa villa situ e Palladii praeceptis, quae exstant apud nostros una, haud facile statuatur unum quiddam ac consentaneum, quoniam formam semper et ubique usitatam, quae pateat in longitudinem transversis ad eam bovibus, eius quoque aetate servatam tenendum est. Formam autem re vera oblongam fuisse sequitur etiam ex Columellae mensura (I. 6, 6), qui latitudinem certam decem pedum satis ducit, longitudinem ut pro boum numero variam itaque neglegendam non statuit, similiterque e Vitruvio (VI. 9, 2), quem quidem etiam hic transscriptum a Palladio constat (cfr. Schneider, ad Col. I. 6, 6). At censet noster bubilia sicut equilia ad meridiem spectare a septentrione luminibus non egere, boves autem nitidiores fieri si focum proxime habeant et lumen (sc. eiusdem foci) intendant. Lon-

gitudinis igitur latera alterum ad meridiem, alterum ad septentrionem patere vult. Quodsi hunc focum, id quod necesse est ex Vitruvii illo loco, culinarium interpretamur, fieri non potest, ut boves, cum stabulo ita ordinato aut ad meridiem aut ad septentrionem, certe ad parietem spectent, culinae focum intendant. Nam et a septentrione parietem obstare efficere licet ex huius partis luminibus, quae hieme claudantur, neque meridiei partem ad culinam apertam esse putandum, quod ita haec ad solis meridiem dirigendi ratio esset supervacua et inepta non minus quam per septentrionis partem si fieret cum culina coniunctio, inde refrigeratio, quae desideratur aestate, esset impedita. Ab occidentis vel orientis angulo admotum ad culinam stabulum opinari alienum videtur neque probabile propterea, quod boves tum focum, quem haberent a latere, non intenderent. Qua re quod Palladius describit bubile, id culinae omnino non coniunctum, sed quamvis prope remotum ab ea, ipsum tamen proprium aedificium esse opinor. Focum autem scriptor nisi forte Vitruvii praeceptum, qui tamen praesepia ad focum simulque ad orientis regionem spectare iubet, temere transtulit, in ipso stabulo collocari velle videtur. Ceterum e Vitruvio, quem hic deficientibus aliis minime velim praeterire, licet cognoscere bubilia saepius ad orientem patuisse eademque certe pristina aetate et in minoribus praediis etiam postea partem fuisse culinae adiectam. Quem usum qui Asiam incolunt, in villis aedificandis semper secutos aperte significat Galen. Antid. I. 3. (v. Schneider, ad Col. I. 6, 20 et ad Pall. I. 21, 2). Sed hanc stabulorum cum culina coniunctionem nostros non magni putare momenti constat maxime ex Varrone quod ut sint hieme caldiora bubilia admonet. Nam quid opus est hoc admonere, cum a culina nunquam non praebeatur calor?

Latitudine satis habentur a Columella (I. 6, 6) ut iam supra diximus, decem fere pedes, totidemque a Vitruvio vetante simul plus esse quam quindecim, quam eandem mensuram statuit Palladius (I. 21, 2). In longitudinem sin

gulis bovibus a Vitruvio spatium datur septenorum, a Palladio binis octonorum pedum, hoc certe per errorem, ut demonstrat Schneider (ad Col. I. 6, 6).

Pavimentum est, ne uligine consistente ungulae putrescant, lapidibus stratum (V. II. 5, 16). Quod omnino in stabulis etiam aliter cavendum videtur (Col. I. 6, 5; P. I. 21, 1), qua re perinde atque in consaeptis subdivalibus (Col. VI. 23, 1; P. IV. 11, 8), ut umor celeriter dilabatur, solum certe etiam hic paululum est declive.

Praesepia commendat Cato (c. 4) Falisca clatrata eaque ferrea, ut videtur.

Propria et latiora stabula certe in extremo villae saepto parantur domandis bubus, quos quam liberrimum stabuli aditum habere oportet (Col. VI. 2, 2; P. IV. 12, 1); ibi autem cum stabulantur, subeunt furcam defixis ab utraque parte asseribus cum tertio transverso ac superiecto (V. I. 20, 2; Col. VI. 2, 3; P. IV. 12, 1).

Habent quaecumque stabula bubulcorum pastorumque cellas adiunctas (Col. I. 6, 8).

E q u i l i a haud aliter ac bubilia sicca et calida esse opportet (V. II. 7, 10; Col. I. 6, 5; VI. 30, 2; P. I. 21, 2) iisque Palladius eandem meridiei regionem designat nec tamen foci aspectum item postulat, quem Vitruvius (VI. 9, 4) etiam noxium iudicat. Cuius praecepto, ut equilia quam calidissimis locis constituantur, dum ne ad focum spectent, haec quoque culinae interdum admota licet colligere pariete tamen interiecto. Ceterum cum bubilibus sive culinae haec adhaerent sive sunt separata ab ea, artissime coniuncta putandum, cum eadem sit caloris necessitas idemque iumentorum usus. Ipsa equilia pavimentum habent plancis roboreis constratum (Col. VI. 30, 2; P. I. 21, 2); singulorum stationes non semper seclusae inter se fuisse videntur, quod ad tuendas gravidas separandosque admissarios interici longorii proprie iubentur (V. II. 7, 10; P. IV. 13, 5).

Maiores greges (equitia) foris in spatiosis campis habebantur (Col. VI. 27, 2).

Ovium greges item bini sunt discernendi, villaticus, qui in villae fundo pascitur et frigoris tempore stabulatur, alter qui procul per saltus vagando nutritur manetque etiam hieme intra cohortes e cratibus, quas ipse secum fert, constitutas (V. II. 2, 8). Sed in villa ovilia sunt loco a frigore ac ventis tuto spectantia magis ad orientem quam ad meridiem (V. II. 2, 7) — Columella (VII. 3, 8) medii diei partem praeponit — et patent caloris causa in longitudinem potius quam in latitudinem (Col. VII. 3, 8) ob eamque rem quam minimum in altum. Sub uno tecto ad mille lanigeras claudi posse affirmat Columella (VII. 6, 5), spatium singulis definit areae ad quinos fere pedes Vitruvius (VI. 9, 4). Solum ut facile everratur, est rudere opertum (V. II. 2, 7), pellitis ovibus etiam lapide stratum (§ 18) vel si pretiosius habent vellus, ut Graecae quae vocantur, cubant in tabulis perforatis (P. XII. 13, 5).

Similis atque ovibus cura fit etiam capris, quarum greges ob contagionis periculum non plus quam quinquagenarum fere sunt faciendi (V. II. 3, 10). Stabula, quae item sint quam calidissima, ad orientem hibernum (V. II. 3, 6) sita strata sunt vel lapide vel testa (V. ibid., Col. VII. 6, 6) nec plus fere quam centum recipiant (Col. VII. 6, 5; P. XII. 13, 8). Spatii singulae occupant tantundem quantum oves (Vitr. VI. 9, 4).

Restat ut in villaticis pecoribus suum fiat mentio. Nam ut proprius fundus carnem praebeat, qua familia nutriatur, cogitare agricolas consentaneum est (V. II. 4, 3) gregesque habentur pro illius magnitudine ita ut Varro modicum putet centenarium (II. 4, 22). Suile quoque fingemus in longitudinem magis porrectum (Col. VII. 9, 14) neque amplius de hoc commemoratur. Gravidae autem et fetae includuntur singulae haris, quae sub porticibus in cohorte, cuius infra fiet amplius mentio, deinceps positae operculo carent,

ut a porculatore inspiciantur (V. II. 17, 13; Col. VII. 9, 9—12; P. III. 26, 4). Harae tres quattuorve pedes altae habent a fronte ostium ad emittendam pascendi causa matricem ita tamen ut limine subter, quod facile illa transscendit, porculorum egressus impediatur (V. II. 4, 14; Col. VII. 9, 10).

Ad multa alia animalium genera, quae aluntur in villis vel circum eas, volucres potissimum et pisces atque etiam feras infra redibimus, cum earum partium, quae sunt necessariae, descriptionem expedierimus. Sed nunc accedamus ad ea membra, quae ut Columellae utar vocabulo, rei serviunt fructuariae.

Atque hic primas occupant partes ea arbusta, quorum culturae ut in Italia praestantissimae ac nobilissimae omnes scriptores nostri summum tribuunt studium, oleam dico et vitem.

Ad oleum prelo vel torculari conficiendum constituitur quod vocatur t o r c u l a r, conditum reponitur oleum in c e l l a o l e a r i a. Quae membra distinguuntur Cat. 60, 2. 66; Col. XII. 52, 13. Occupant haec certe proprium tractum, quem Vitruvius (VI. 9, 2) proximum — nec tamen coniunctum — culinae esse vult commodam servorum ministrationem respiciens. Coniunctum esse culinae eo facilius negaveris, quo planius Columella quamvis calidam desideret cellam oleariam, et fumum et uliginem arceri inde iubet (Col. XII. 52, 13). Qua re et torcular et cellam meridiei opportet esse oppositam indeque lucem per fenestras accipere (V. I. 13, 7; Col. I. 6, 18; P. I. 20, 1; Vitr. VI. 9, 3). Palladii vero aetate iam sciunt purum calorem prohibita fumi noxia in torcular perducere, cum solo substernunt suspensuras et fornace succensa pavimentum itaque totam cellam calefaciunt (P. I. 20, 2). Oleae quae prelo subiciendae curantur, in tabulatum prius conferuntur, unde quam primum certe eodem die ad torcular descendant. Hoc autem

tabulatum pensile exstructum in lacusculos dividitur ad separandam singulorum dierum coacturam; solum lapide vel testa constratum declive est, ut defluat olearum umor in concava asserculis et cannis contecta, unde possit amurca exhauriri. (Cfr. Cat. 3, 4. 64; V. I. 55, 5; Col. XII. 52, 3.)

Torculari Vitruvius, si unum constituatur prelum, XVI, si duo, XXIV pedum latitudinem, longitudinem pedum XL designat. Molae in eo, quas Columella aptiores indicat quam trapeta, versantur ab asinis (Cat. 10, 1. 4). Oleum denique in dolia ac serias infusum conditur loco plano in cellam (V. I. 13, 1; Col. I. 6, 9; XII. 52, 10).

V i n a r i a   c e l l a partem desiderat diversam ad septentrionem, quod vinum et dum conficitur et cum condendum repositum est frigore magis quam calore iuvatur (V. I. 13, 7; P. I. 18, 1; Vitv. VI. 9, 2). Praeterea cum noceant vino etiam odores acriores et horridi, longe est removenda a balneis, stabulis, sterquiliniis, furno, cisternis, aquis salientibus (Col. I. 6, 11; P. I. 18, 1) certeque etiam a culinae tractu, quamquam praetereunt eum scriptores. Qua re architecturae praeclarissimus noster scriptor quod torcular, quocum coniungi velit cellam vinariam, proximum culinae esse iubet, errare videtur, praesertim cum huic stabula quoque existimet coniungenda (v. VI. 9, 2). Immo vero cum torcular cellamque oleariam ad meridiem et vinariam ad septentrionem spectantem sub uno tecto coniungi nobis maxime videatur probabile, utraque membra longius a culina remota potius putamus fuisse, quoniam ne commoda quidem quam poscit scriptor ministratio ceterique rustici apparatus propinquitas ad ea loca, quae non cotidiano operi sunt destinata, tanti sit momenti, ut incommodum gravius neglegatur.

Cellae distributionem de nostris planius explicat unus Palladius (I. 18). Comparat formam eius cum basilica, cum habeat calcatorium loco altiore constructum. Quod

ipsum cur non cum Gesnero torcularis locum quasi tribunal quoddam interpretemur, non intellego, cum verbum ‚calcare‘ pro ‚premere‘ cum obiecto ‚uvis‘ etiam alias coniungatur (velut apud Catonem), calcatorium igitur preli locum possit significare atque etiam torcular vocabulum pro prelo vinario a Columella (XII. 18, 4) usurpetur, tum maxime propterea, quod si ad Schneideri explicationem (Comm. ad l. c.) hoc calcatorium iudicamus ambulacrum altius editum, scriptorem non solum huius usum ne leviter quidem tetigisse, sed etiam partem pressoriam, quae in cella vinaria summi est momenti, plane praeterisse necesse est. Quid igitur magis est consentaneum quam prelum altius extare editum ab utraque parte singulis in solum depressis lacubus, quo defluat vinum ex uvis modo calcatis. Quibus ex lacubus per canales vel tubos fictiles manat vinum in dolia iis subdita, quae ita repleta tum in ipsam cellam conduntur. Si vindemiae copia est maior, cupae quoque, quae recipiant mustum, asellis i. e. spondis ligneis (I. C. Schmitt, Pall. I. not. 29) impositae collocantur. Quae si semper sunt necessariae, locus earum podiis brevibus circumdatur et testaceo pavimento sternitur, ut si quid forte e cupa effluat, ita retineatur nec pereat; idem utile existimat Varro (I. 13, 6). Dolia alia demersa esse humi, alia stare supra terram commemorat Columella (XII. 18, 5).

Iam veniamus ad siccorum fructuum repositionem, quam non in plano ut humidorum, sed in tabulatis fieri tradunt Varro (I. 13, 1) et Columella (I. 6, 9). Atque hic rursus frumentorum et pomorum horrea discernemus a foenilibus et farraribus (cfr. Col. I. 6, 9), cum illa villae ipsi adnumerentur, haec ob incendii periculum a Vitruvio quidem (VI. 9, 6) et Palladio (I. 32) extra eam i. e. longius inde remota poni iubeantur.

Frumentorum horrea, quae g r a n a r i a quoque appellantur, spectant ad septentrionem vel ad aquilonem (V. I. 57, 1; Col. I. 6, 10; P. I. 19, 1—3; Vitr. VI. 9, 4), frigi-

dam igitur ac siccam occupant partem longeque ponuntur ab omni humore et stabulis apud Palladium quidem (I. 19, 1), ut simili fere condicione utantur atque vinaria cella (Col. I. 6, 11). Eadem vero cum locum desiderent, qui scalis adeatur (V. I. 13, 1; 37, 1; Col. I. 6, 10; P. I. 19, 1; Vitr. VI. 9, 4), perfacile ea superponi cellae vinariae suspicemur, ut cum hac et torculari et olearia cella tertium efficiant tractum. Quae opinio si non verbis nostrorum plane confirmatur, certe non refellitur, quippe cum a Columella ipsa granaria comparentur in plano sitae vinariae cellae nec obstet quae ab eodem paulo infra poscitur pensilis horrei i. e. fornicibus nitentis positio.

Habent haec horrea a septentrionis vel aquilonis parte, ut siccis ac frigidis ventis perflentur, fenestellas (V. I. 57, 1; Col. I. 6, 10; XII. 2, 2; P. I. 19, 1—3) adque animalium noxiam defendendam solum et parietes tectorio opere loricata, quod ipsum paleis vel oleastri frondibus et amurca additis magis etiam est solidatum (Cat. 92; V. I. 57, 1; Col. I. 6, 12 sq; P. I. 19, 2); bipedarum vel laterculorum pavimentum desiderat Palladius (ibid.). Tectum iudicatur optimum camerarum (Col. I. 6, 12). Granaria ipsa, quae cuique tribuantur frumenti generi, lacubus distinguuntur vel craticiis saltem podiis separantur (Col. I. 6, 13; P. I. 19, 2).

His in granariis etiam poma saepissime reposita esse putandum, Palladius quidem plurimos tradit pira obruta inter paleas aut frumenta servasse (III. 25, 9), itemque uvas, quas facile huc adnumeremus, ut virides serventur, nonnullos in horreo suspendere, in quo triticum suppositum sit, ait Columella (XII. 44, 4). Nec minus, quoniam exstat hoc exemplum, iis fructibus, qui frigus et siccitatem desiderare commemorantur, granariorum locum assignabimus, ut ficis (Col. XII. 15, 1), malis cydoneis (Col. XII. 47, 1; 47, 5) ceterisque generibus quae ita enumerat Varro (I. 59).

Hic idem auctor est in praediis largiora pomaria continentibus proprias institutas fuisse oporothecas, qui-

bus serviret eadem quae granariis arida et frigida loci natura quaeque item ab aquilone per fenestras perflarentur. Intrinsecus, quo frigidius esset, camaras, parietes, pavimentum marmorato opere tegi. Delicatiorem vero fuisse apud nonnullos harum instructionem inde licet intellegere, quod quidam triclinium in ipsa oporothece sternere atque etiam alii Romae coempta poma ad instruendum talem aspectum rus intulisse dicuntur. Etiam terrenis locis ibique in doliis partim humi demersis poma servari docet Cato (c. 143, 3).

Longius ut supra diximus, ab hoc rustico apparatu remota sunt ea horrea, quae recipiunt leviora, ut foenum, paleas, leguminum acus, frondem, quaeque alia animalibus praebent vel pabulum vel stramentum. Quorum in tecto repositio commemoratur Cat. 5, 8. 53; 54, 2; V. I. 56; Col. I. 6, 9; P. I. 32; Vitr. VII. 9, 6. Eiusmodi aedificia levi exstructa materia suspicemur, trabibus ac tabulis plerumque, id quod etiam apparet ex incendii periculo, cuius memores sunt Vitruvius et Palladius. Conduntur autem illa pabula in tabulata potissimum (V. I. 13, 1; Col. I. 6, 9), ut vacua restet in plano pars. In qua licet ligna, cannas aliaque eiusmodi reposita arbitrari (P. I. 32). Cato (c. 55) poscit etiam his tabulatum.

Aliud denique horreum invenimus apud Columellam (I. 6, 7) commemoratum, quod tamen non fructus recipiat, sed rusticum instrumentum a pluvia vi defendat. Positum hoc aedificium dicitur optime ob vilici procuratorisque oculos; intra id ipsum clausum exstat ferramentorum receptaculum. Varronis aetate plaustris ceteroque instrumento nonnunquam nihil amplius quam clausum consaeptum sub divo assignatum videtur, quoniam commemorandum arbitratur ita a fure tantum res defendi, non simul a tempestatum noxia, quam prohibeant optime in cohorte tecta.

Apparet ex hac descriptione in rustica parte villae aedificia plerumque ita disposita, ut unam partem efficiat culina cum iis membris, quae vel coniuncta vel proxime

sita demonstravimus, velut servorum cellas, balnea rustica, pecorum stabula, aliquanto inde distet vinaria cella cum torculari et olearia itemque frumenti horreo, longissime denique absint foenilia palearia. Quae inter aedificia cum totam villam maceria vel saepto saltem agresti cinctam opinemur, media patet cohors, quo congregantur extra stabula et pecora et volucres, ut aquae gaudeant usu. Propterea hic potissimam tenet partem lacus, qui aquam praebeat et bibendam his animalibus et ut perfundantur. Altera exstat piscina, ubi fructus macerantur velut lupinus, mustum in dolia reconditum (Cat. 120; V. I. 54, 2) vel ligna viminea (Cat. I. 6, 21; XI. 2, 92; P. I. 31). Perducitur ad has piscinas aqua aut fluens ex fonte aut putealis aut caelestis item ut hominibus aquam praebent aut putei aut cisternae (V. I. 11, 2; Col. I. 5, 1—2; P. I. 16), quae traduntur in tectis esse sub terra (V. I. 11, 2; P. I. 17, 4) parietibus signinis soloque rudere solidato et levigato testaceo pavimento. Ducenda videtur aqua vel forma structili vel canalibus ligneis vel, quod optimum iudicatur, fictilibus tubis vel quod rurus deterrimum, plumbeis fistulis (P. IX. 11; cfr. Vitr. VIII. 7, 1). Varro in fundo magno duas cohortes iudicat aptiores hisque piscinas eiusmodi singulas attribuit (I. 13, 3). Distinguit cohortem quam vocat exteriorem alteramque quam nos dicamus interiorem. Haec, quam suspicemur esse inter aedificia, cum altera piscina praebet bubus ex arvo reductis potionem et lavationem itemque anseribus a pascuis redeuntibus et subus. Illam igitur, quae stramentis ac palea strata et pedibus pecudum occulcata stercus gignat fundo, cum extra villam potius esse quam intra eius aedificia patere e vocabulo ‚exteriore' sit colligendum, quid aliud nisi pecudibus hieme in villa stabulantibus aestivandi locum dare opinemur? Alii unam commemorant cohortem (Cat. 39, 1; Col. I. 6, 74; P. I. 22, 1; cfr. Vitr. VI. 9, 1), quam quidem Palladius ad meridiem vult patere (I. 22, 1) et obiectam esse soli. Excedat igitur aedificiorum tractus terminos ad meridiei partem. Ad prohibendum

nimium solis ardorem idem iubet aestate porticus formari furcis, asseribus, fronde tectoque vel scindularum vel tegularum vel caricum fieri umbrosas. Alias in cohorte porticus, sub quibus sunt suum harae, iam supra commemoravimus.

In eadem cohorte sterquilinium est quam proxime ad villam admotum (secundum villam Varr. I. 13, 4; 38, 3) ab eo certe latere, ubi sunt stabula. Nam unde facillime et quam paucissimis operis stercus eo efferatur, ibi hoc esse necesse est (V. I. 38, 3). Accedit quod propter odores horrendos averti iubetur et a cella vinaria et a praetorii aspectu (Col. I. 6, 11; P. I. 18, 1; 33, 1). Duo postulant sterquilinia et Varro (I. 13, 4) et Columella (I. 6, 21), ille etiam unum, sed idem bifariam saltem divisum, altera enim parte novum stercus recipi, in alteram, quod per annum requievit, recondi, ut in agrum evehatur. Non item plane duo putant necessaria Cato (c. 5, 8; 39, 1), et Palladius (I. 33, 1). Humore quod sterquilinio maxime est opus, ne stercoris sucus siccetur, leni clivo ipsum constituitur (V. I. 13, 4; Col. I. 6, 20; P. I. 33, 1), quo aqua possit affluere, solum pavimento est exstructum, ut contineatur omnis humor, summa autem pars et latera virgis ac cratibus a solis ardore et siccitate defenduntur (V. I. 13, 4; Col. I. 6, 22). In media parte defixa stipes robusta serpentes prohibet gigni (V. I. 38, 3; Col. II. 14, 6). Sellas quoque familiaricas apponi narrat Varro (I. 13, 4), et cum gallinae prodiguntur ad stercus, rete supra iubet intendi (III. 9, 14).

Iis denique quae circa villam, in cohorte tamen inclusa existimemus, adnumerandum pistrinum et furnus (Col. I. 6, 21), quae quidem plerumque coniuncta inter se videntur cum propter ipsum usum tum eo, quod Vitruvius, qui foenilia, farraria, pistrina vult ob incendii periculum extra villam fieri, furnum non ipsum nominat, sed in pistrini notione complecti videtur (VI. 9, 6). Atque in pistrino far hieme pinsitur et torretur (V. I. 63, 69). Molam autem constat agi a servis vel per asinum et mulum (Col. VI.

37, 1; P. I. 41) vel si fieri potest aquae vi, quam suppeditant balneorum fusoria (P. I. 41).

Furnus servit pani parando et fructibus coquendis velut ficis (P. IV. 10, 34), prunis (P. XII. 7, 16). Removendum autem utrumque est longius cum ab omnibus villae membris ut supra diximus tum a cella clearia (Col. XII. 52, 13) et vinaria (Col. I. 6, 11; P. I. 18, 1) et horreo, ubi malorum est tabulatum (Col. XII. 47, 5).

Coniuncta autem furno, si non culinae, commemorantur gallinaria, de quibus amplius infra videtur exponendum (Col. VIII. 3, 1).

Omnino reliquum est, ut nunc in describenda cohorte mentio fiat avium cohortalium, quas vocat Columella (VIII. 1, 3), sive earum, quae terra modo sunt contentae, ut significantur apud Varronem (III. 3, 3).

Universi volucrium generis cura prisca aetate, cuius Cato noster est memor, fuit admodum simplex, quam distinguit Varro (III. 3, 6) in duos gradus, cum tradit habuisse veteres in plano cohortem, in qua pascerentur gallinae, sublime autem vel in turribus vel in summa villa columbas neque aliud eiusmodi genus praeter anseres affert ipse Cato (cfr. c. 143, 3. 89. 90). At posteriores alunt in villa etiam turtures, turdos, pavones, grues, phasianos, querquedulas, anates, eorumque rursus varia discernunt genera, praeterea raras aves, ut psittacos, merulas albas, quarum mentionem facit Varro (I. 38, 2; III. 9, 16).

Veniamus igitur primum quidem ad eas aves, quae intra villae saepta cibantur earumque in numero habendae sunt gallinae, columbae, turtures, turdi.

Atque gallinarum habitationem amplius describunt Varro (III. 9, 6 sq.) et Columella (VIII. 3, 1 sq.). Uterque ducenis cum uno curatore saeptum attribuit locum, cuius frons spectet ad orientem (hibernum vult Col.). Dividit

gallinarium ille in duas caveas cum medio ostio, hic in tres cellas, quarum media multo minor aditum habet, qui exstat unus nec gallinis occupatur. Mirum est Varronem nusquam commemorare gallinarium cum furno vel culina coniunctum nec non verba eius videntur admodum obscura, quantum pertineat ad gallinarum cubilia, quae statuit et in cavearum pariete exclusa et rursus in grandi curatoris cella parietibus circum exsculpta aut adficta; haec autem una et eadem existimat (Keil comm. ad h. l.) iterum accuratius definita neque Columella duo cubilium diversa loca distinguit. Qua re Varronis hunc locum ita intellegimus, ut curatoris cella quippe quae grandis appelletur, caveas a tribus partibus circumplectatur, ut harum parietes simul illius partim efficiant circuitum itaque etiam hic contineat circum cubilia. Caveas ipsas Varro facit decem pedes longas, altas paulo minus, quinque pedes latas, similemque sumit Columella duarum ab utraque parte cellarum dispositionem, attribuens iis longitudine et altitudine duodecim pedes, in latitudinem dimidio minus. Lucem accipiunt hae, ut ait Varro, per singulas fenestras tres pedes latas, quattuor altas easque viminibus clatratas. Aditum praeter curatoris ostium omnino neglegit. Columella, qui sublimitatem dividit tabulatis septem pedibus a terra editis (media igitur cella tota altitudine par est loco utrimque tabulatis subiecto), superiorem partem fenestellis, ad quas a cohorte forinsecus per asserculos escendant aves eaedemque per noctem claudantur, facit intrari, inferiorem tractum maioribus a fronte fenestris ipsis clatratis fieri illustrem. In parietibus harum utrimque cellarum exstant avium cubilia excisa, quae tamen etiam in qualis vimineis, quos palis in parietes actis superposueris, esse possunt. Dormientes gallinae sedent in perticis parietibus utrimque infixis formae non rotundae, sed quadratae. Aqua et cibus eis praebetur per canales operculis clausas, sed modicis cavis perforatas ita ut capita tantum bibentium immittantur. Atqui mediae cellae, quam commemorat Columella, ne minimam quidem iterum facit mentionem. Nos

non aliam eam interpretemur nisi gallinarii locum, quamquam aliter ac ‚grandis' apud Varronem curatoris cella non, admodum est magna. Permeari autem potest a furno vel culina gallinario admota ad cohortem, ipse curator stationem habere videtur in furno vel culina. Quae coniunctio praebet caloris salubritatem ita, ut focus e modica longinquitate eum emittat in mediam cellam indeque per aditum dextra laevaque in utramque adiacentem. Saeptum vestibulum, quod Varro ante hoc collocat gallinarium, Columella non promiscue villaticis vel cohortalibus gallinis assignat, sed ei tantum generi, quod non alibi atque intra ornithonem pascitur. Ad saginationem includuntur gallinae loco tepido, angusto, obscuro (V. III. 9, 19; Col. VIII. 7, 1). Alia genera quae enumerantur, rusticum et Africanum (V. III. 9, 1; Col. VIII. 21) sunt pretiosiora et rariora (V. III. 9, 16).

Non dissimili ratione ac gallinae habitant praeter ipsum loci situm columbae. Quarum duo potissimum exstant genera, unum, quod in ornithone cibo domestico alitur omni semper tempore, alterum agreste, quod per duos tresve menses accipit conditiva cibaria, alias libere volando ipsum sibi requirit pabulum (V. III. 7, 1; Col. VIII. 8, 1). Illud continetur intra limina cellae, hoc edito loco in turri aut villae columine habet sedem, unde fundum frequentet et quo libere redeat. Tertium facit Varro miscellum, quod tenetur in peristerone ita, ut incubantes evolitent interdum, ceterae remaneant. Palladius unum agreste genus respicit, cum collocat in turri in praetorio constituta (I. 24).

Apparatus interior et in peristerone in plano sito et in columbario turri incluso idem fere exstat (V. III. 7, 8).

Peristerona quidem Varro ita describit, ut aedificium exstruat testudini simile cum camerarum tecto, aditum eo faciat per ostium angustum perque fenestras punicanas (i. e. angustissimas) aut latiores easque reticulatas lucem admittat, quas, quia parietes cubilibus occupantur,

certe esse in tecto putandum. Ipsi parietes marmorato opere sunt obliti, ut et levigati prohibeant noxium quodvis animal arrepere et dealbati columbis laetum obtendant aspectum. Exsculpta per ordinem columbaria rotunda ternarum palmarum ex omnibus partibus praepositas habent singulis ordinibus tabulam pro vestibulo. Fetae columbae interdum, ut possint evolare, in locum reti seclusum transferuntur, unde exitus patet ad fundum. Aqua datur bibenda per canales, ut videtur, influens et lacusculos, ubi laventur, efficiens. Canales circum parietes etiam cibos extrinsecus per fistulas recipiunt. Sic una includunt avium ad quinque milia (V. III. 7, 2).

In turri vel sub villae tecto eadem ratio adhibetur ad collocanda in pariete columbaria eorumque vestibula, ad levigandum et dealbandum opus tectorium, ad aquam denique et cibum apponendum (Col. VIII. 8, 3). Sed cum hic suburbana potissimum loca respiciat scriptor, ubi propter aucupum dolum non conveniat libere volare columbas, sed includi semper sit opus, partem deligit columbario quam calidissimam et assignat meridiem hibernum (v. pg. 10). Fenestrae autem apposita exstat, ubi apricentur columbae, cavea retibus adversus accipitrem munita, quae ipsa bifariam videtur divisa seclusis incubantibus (cfr. Varr. III. 7, 6), quibus solis, ut reficiantur, datur foras egressus (Col. VIII. 8, 4).

Palladius unius, ut supra diximus, saxatilis generis memor columbarium intra praetorium in turricula constituit, cuius parietes levigati ac dealbati mustelam probibeant, summa pars intus contineat nidos et per fenestellas brevissimas a quattuor partibus egressum det columbis introitumque. Addit, ut est maxime superstitiosus, varias artes, ut libentius redeant propriae atque illiciantur alienae aves (I. 24).

Alii sunt praeterea ornithones non educationi, sed farturae tantum dediti earum avium, quarum magna simul

multitudo quotannis capta ad epularum usum paratur. Qua re eiusmodi ornithoni desunt cubilia, pali tantum in parietibus circum infixi et tegeticulas habentes cannabinas captivis, ubi assidant, assignantur, velut turturum habitatio describitur apud Varronem (III. 8) et Columellam (VIII. 9). Ceterum haec similis est peristeroni, cum habeat ostium et fenestras, parietes ac cameras tectorio politas similemque modum aquam et cibum afferendi. Pali autem et mutuli per ordines parieti sunt adacti, quorum infimus ab humo tribus pedibus, summus a camera semipede distat. Rete his mutulis praetendit Columella (§ 3), Varro non item. Apud Palladium (I. 25) turturum sedes columbarii cellae est subiecta item ac turdorum, quorum hieme potissimum ut illorum ad messis tempus fit fartura (V. III. 5, 7; P. XIII. 6). Ac turdis maior opera et impensa quam turturibus tribuitur (VIII. 10, 1). Varro (III. 5, 1 sq.) etiam his testudinem assignat magnam, quae possit aliquot milia avium recipere. Ostium fit angustum cocliae instar i. e. facile movendum, fenestrae rarissimae sunt, ne cum videant aves foris arbores, fiant maestiores et tabescant. Praeter palos sedes exstant etiam in perticis ex humo ad palos inclinatis aliisque ad has transversis, quae efficiant cancellorum quasi scenicorum aspectum. Necnon in ipso ornithone sunt caveae minores cum tabulatis pariter sedes praebentibus. Admotum commemoratur minusculum seclusorium illustrius, quo optimi transferuntur turdi ad cenam occidendi, aliudque aviarium, in quo curator mortuos servet ad rationem domino reddendam. Aqua huc quoque per fistulam adducta in canalibus datur ad bibendum, quaeque abundat per fistulam rursus exit.

Simile fingendum videtur quod Columella exstruit (VIII. 10) turdorum cubiculum, nisi quod de luce ac fenestris ab illius vel maxime abhorret descriptione. Nam cum ille tantum lucis sinat admitti, ut aves videant sedem, aquam, cibum, hic desiderare turdos item ac columbas apricum locum

asserit. Ceterum idem quod hic censet Palladius (I. 26). Quam dissimilitudinem dubito an eo referam, quod ad mitigandam captivorum maestitiam fastidiumque Columella veteranos ante ad hunc usum nutritos iubet intermisceri, ut diei lucem solisque calorem iis non putet detrahendum. De parte interiore idem non aliud commemorat nisi perticas adversas et parietibus perforatis immissas, ubi sedeant volucres non altius a terra editae, quam ut possint a stante homine contingi. Cibus non sub perticis, unde inquinetur, apponitur, sed optime, ut videtur, secundum eos parietes, qui non fulciunt perticas, aqua item datur ut gallinis. Hanc descriptionem plane sequitur Palladius. Parietum levigatio nimirum nusquam praeteritur.

Hae igitur aves per scientiam ac rationem in cohorte ipsa ornithonibus includuntur ac nutriuntur ita, ut ex villae saepto nunquam excedant. Suo loco hic commemoretur etiam illud animalium genus, quod item Columella quidem (VIII. 1, 3) in villa inducit educari, p i s c e s dico. Eiusmodi piscinarum sunt duo genera, unum dulcis, alterum marinae aquae (V. III. 3, 2. 9), quod tamen vetustiore aetate plane ignotum ad litus tantum maris potest constitui. Rusticae villae Varro illud potius attribuit (III. 17, 3), cum marinae aquae piscinam ornamentum putet sumptuosius. Huius quae exstat apud Columellam (VIII. 7) descriptio, eam hic afferre alienum existimo a re proposita.

Iam igitur redeamus ad aves et eas, quibus stabula intra villam parantur, sed etiam ad agrestia pabula exitus datur.

Ac primum quidem in iis numerandi sunt a n s e r e s. Qui cum extra villam quamquam non longe ab aedificiis in palustri agro pascantur, ubi stagnum vel flumen naturale aut lacus vel piscina manu facta natandi locum det, stabulantur intra villae cohortem seclusi ipsi in propriam cohortem novem pedum maceria saeptam.

Hac in cohorte porticus maceriae sunt admotae, sub quibus quadratae harae ternorum pedum in latitudinem et altitudinem caementis exstructae deinceps exstant, praeterea custodis cella (Col. VIII. 13, 3; 14, 1; cfr. V. III. 10, 3; P. I. 30, 2). Pulli item in haris aut supra terram aut subtus habentur (V. III. 10, 4; Col. VIII. 14, 9), una tamen non plus viceni. Farturae destinatur saginarium, quod sit calidum et obscurum (V. III. 10, 7; Col. VIII. 14, 11; P. I. 30, 3).

A n a t e s si minor est numerus, simili ratione in villa stabulantur, sed si greges habentur maiores, nessotrophion fit loco palustri extra villam ut videtur (cfr. V. III. 11). Nec magis ita p a v o n u m stationes ad villae cohortem pertinere videntur (Col. VIII. 11, 3), loci eorum in cohorte siti non meminerunt nostri. De iis autem aedificiis, quae non in ipsius villae consaepto sunt exstructa, infra videtur dicendum.

Ad villam restat, ut unius intra cohortem animalis praeter ea, quae enumeravimus, eiusque maxime necessarii fiat mentio. Nam carebant ne veterum quidem villae c a n u m custodia ac tutela, qui interdiu in cuiusvis aedificii parte clausi noctu vigilantes per cohortem vagantur (Cat. c. 124; V. I. 19, 3; Col. VII. 12, 7).

3. Quae sint circa villam in fundo.

Haec numeranda putavi in omni villae tractu, quam vocamus latiore sensu distinguentes et urbana et rustica aedificia cum cohorte a fundo, qui occupatur hortis, pratis, arbustis. Ipsam illam fabricam, quatenus quidem rusticae serviat rei, circumsaeptam arbitremur, id quod et ex ipsa vocabuli cohortis significatione et veriloquio efficiendum et omnino usui videtur consentaneum. Atque s a e p t o r u m genera Varro enumerat quattuor (I. 14, 1), primum naturale virgultis ac spinis consitum, alterum agreste, quod efficiant

pali vel trunci in terra defixi traiectis longuris, tertium militare ductae fossae aggerisque adiuncti, quartum denique fabrile, quod dicit novissimum, maceriam (cfr. Col. V. 10, 1; P. I. 34, 4—6). Hanc rursus fieri tradit modis quattuor aut e lapidibus aut e lateribus coctis vel crudis aut e lapillis cum terra in formam compositis. Formam maceriae describit planius Cato (c. 15), cum facit macerias altas pedes quinque, crassas sesquipedem, columen imponit unius pedis; materiam poscit calcem, caementa, silicem iubetque eam sublini. Maceriam autem ad saepiendum posteriore aetate magis fuisse quam cetera genera usitatam cognoscas ex eo, quod et Columella et Palladius eam priore loco solent commemorare (Col. V. 10, 1; X. 27; arb. 18; P. I. 34, 4).

Nunc autem veniamus ad ea rustici apparatus membra, quae extra hoc villae consaeptum locum habent, quoniam ne ea quidem existimo praetereunda. Accedunt ita quam proxime ad villam horti, deinde a diversa parte area cum aedificiis quae messi ipsi serviunt, tum animalium stationes eorum, quae agro perfruuntur vel in nemoribus inclusa habentur, postremum aliae appendices ex situ ac natura regionis necessariae, in quibus obiter commemorat Varro (I. 2, 23) lapidicinas, harenarias adque publicam viam aedificandas tabernas deversorias.

Atque hortus, in quo seruntur florum frutecta, olera, arbores pomiferae (V. I. 23, 4—5; Col. IX. 4, 4; II. 21, 3; XI. 3, 9; arb. 22, 23, 25, 30; P. I. 39, 4), cum venustatis potissimum teneat partes, ab urbana villae parte quam proxime abesse debet ob hoc ipsum (Col. I. 6, 24; P. I. 8, 2; 34, 1). Idem tamen ne a rustica quidem parte debet esse aversus, quod inde recipienda est cortis, balneorum, torcularis colluvies (Col. I. 6, 24; P. I. 34, 1; 39, 4). Invenimus in eo rosas, violas, lilium, crocum (V. I. 35, 1), levcoia, hyacinthum (Col. IX. 4, 4; P. III. 21; XII. 11), varia olerum genera, velut brassicam, rapam, asparagum

arbores denique maxime varias, ut mala aestiva, cydonea, sorba, pruna, morum, siliquam Graecam, Persicum, amygdala, pira, iuglandem, pineam, castaneam (Col. arb. 22, 25). Omnia autem disposita sunt per areas oblongas (Col. arb. 25, 30; P. I. 34, 7), quas Palladius vult duodenos pedes longas, latas senos esse. In media parte exstat, unde irrigetur hortus, vel rivus vel fons vel, si hic desit, puteus certe aut aquae pluvialis piscina (P. I. 6, 10; 34, 2). Saepem Columella, ut veteres, structili praefert vivam, quae paratur consitis vepribus (XI. 3, 3). Praeterea Palladius superstitione scilicet motus horto, qui fiat adversus grandinis vim tutior, circumserit albas vites (I. 35, 1).

Diversa ab horti latere, cuius arbustis noceant paleae (Col. XI. 3, 9; P. I. 34, 1; 36, 3), patet area, quae paratur ad frumenti trituram, extra villam in agro ipso, ita tamen villae admota, ut a domino vel a procuratore possit inspici (Col. I. 6, 23; P. I. 36, 1). Vento ut perfletur, patet in agri loco sublimiore (V. I. 51). Forma est rotunda (V. I. 51) et media paululo quam in circuitu editior, ut aqua possit defluere (V. I. 51). Solum ita solidatur, ut primum confodiatur, deinde palea et insulta amurca respergatur, tum lapide molari vel columna coaequetur, nisi forte pecudum pedibus permittitur terendum (P. I. 36, 1; VII. 1, 3), postremum siccetur (Cat. 91, 129; V. I. 51; Col. II. 19; P. VII. 1, 1). Muniri potest etiam lapidum vel silicum pavimento. In quibusdam regionibus area tecto ab imbribus est tuenda, calidioribus autem locis prope sunt umbracula ad defendendum meridiei aestum (V. I. 51). Semper autem appositum est nubilarium, quo si repentini cogunt imbres, celeriter messis deferatur (V. I. 13, 5; Col. I. 6, 24; II. 20, 3; P. I. 36, 2). Hoc apertum est ab areae latere et fenestras habet, unde maxime a ventis perfletur (V. I. 13, 5). Refrigerationi, quam frumento utilem esse negat Columella, servit alter locus siccus ac planus, qui patet secundum aream (P. I. 19, 2; 36, 2).

In iis animalibus, quae foris aluntur neque in villam recipiuntur, primum afferam anates in nessotrophio inclusas. Hoc nessotrophion, ubi habentur praeter vulgares anates etiam rariores, velut querquedulae, perdices, phalarides, boscides, loco palustri vel circa lacum aut stagnum constitutum maceria est saeptum quindecim pedum in altitudinem, secundum quam intrinsecus crepido lata continet cubilia. His praepositum est vestibulum opere tectorio eique impressa perpetua canalis, ubi cibus sit et aqua. Parietes autem etiam hic sunt diligentissime propter noxias bestias levigati. Superne locus omnis clauditur vel clatris vel retibus laxis maculis. Hactenus consentiunt inter se Varro et Columella (V. III. 11; Col. VIII. 15) — ceteri omnino non faciunt mentionem. In media autem parte commemorat Varro lacum naturalem vel piscinam manu factam, quo gradatim descendant aves. Hoc ipsum non suadet Columella, sed poscit descensum leniter declivem et accedit hic propius ad ipsius naturae formam. Praeterea stagnum in duorum pedum altitudinem defossum medium exornat aquaticis, quae praebeant nantibus opacum refugium, ita tamen, ut in circuitu reliquum sit spatium pura superficie ad natandum, qua re hic, ne herbae nascantur, solum lapidibus et testaceo opere est opertum. Frutectis contegit etiam cubicula.

Pavonum greges iam Varronis aetate educantur (V. III. 6, 1) voluptatis magis quam usus causa (Col. VIII. 11, 1), quamquam etiam ad cenam apponuntur (V. III. 6, 6). Designatur his testudo, in qua cubilia discreta item tectorio opere levigata constituuntur praeposito loco, quo pastum prodeant. Amplius de his quam Varro explicat Columella (VIII. 11, 3 sq.). Ac claudit herbidum silvestremque agrum sublimi maceria, cui admovet a tribus lateribus porticus, a quarto duas cellas, in una ut habitet custos, in altera stabulentur pavones. Hoc igitur in stabulo sedent pavones in quadratis perticis, quae paxillis brevibus per ordinem

humi defixis sunt inductae. Sub illis porticibus sunt arundinea saepta, quae distinguuntur calamis velut clatris singulosque utrimque aditus habent. Ubi ad pascendum secluduntur singuli mares cum quinis feminis, quod mares in edendo tam sunt pugnaces, ut minus validi detrudantur a cibo. Incubantium cubilibus non opus est, nam pavonum pullos a gallinis constat plerumque excludi. Pavonum etiam Palladius meminit (I. 28), sed de stabulis nihil affert. Simillima cura aluntur p h a s i a n i, quos idem commemorat unus (I. 29).

Iam descendere opus est ad bestiolas, quae cum domino uberrimum referant fructum, quam diligentissime coli a nostris iubentur. Atque a p i u m sedes prius in villa ipsa fuisse nec non sua quoque aetate ibi poni commemorat et Varro (III. 3, 5; 16, 15) et Columella (IX. praef. 2). Haberi tradunt apiarium in villae porticu vel in ipso pariete excisum. Plerumque autem est extra cohortem nec tamen, si fieri potest, longe a domini habitatione (V. III. 16, 12; Col. IX. 5, 1; P. I. 37, 1). Optime adiungitur ipsum maceria circumdatum cuivis aedificio. Remotum certe oportet esse a sterquiliniis, stabulis, balneis (Col. IX. 5, 1; P. I. 37, 4). Si longius distare opus est alvearia, in ima parte vallis poni iubet Columella, quo devolent facile apes melle onustae. Tum autem locus alta cum fenestris circumcluditur maceria iunctumque habet tugurium, in quo habitent custodes et reponatur instrumentum.

Ipsas alvos, quae fiunt vel cortice eaeque optimae vel viminibus vel ligno vel fictiles, quae tamen sunt deterrimae (V. III. 16, 15; Col. IX. 6, 1; P. I. 37, 6), constituit Varro per duos tresve ordines superpositos in mutulis parietis; totidem ordines cum habeat Columella, levigatum tectorio suggestum trium pedum in altitudinem et latitudinem supponit ipsasque deinceps alvos dirimit angustis parietibus latericiis vel modicis saltem intervallis tegitque ordines porticu superposita (IX. 7). Aquam praebet vel

fons vel canalis inducta virgultis interpositis, ubi sedeant ad bibendum apes. Idem fere censet Palladius (I. 37). Spectare autem oportet apiarium ad brumalem orientem (V. III. 16, 12; Col. IX. 5, 1; P. I. 37, 7) et circum habere arbusta et frutecta, cuius flores ad mel creandum aptissimi.

Restat, ut ferarum meminerimus, quas includunt nemora et saltus leporarii vel vivarii nomine. Ac pristinis temporibus continebant haec nihil amplius nisi lepores (V. III. 3, 2) nec latius patebant quam ut haberent iugera unum vel duo (V. III. 12, 1). At postea iam Varronis aetate in uno saepto quadraginta vel quinquaginta iugerum (V. III. 3, 8; 13, 1) aluntur praeter lepores capreae, cervi, oves ferae (V. III. 3, 2; 12, 1), damae, oryges (Col. IX. 1, 1). Separatis deinde ibi locis velut ad flumen vel rivum et sub rupibus educantur cochleae (V. III. 14, 2), tum loco magis arido intra maceriam etiam glires, quae in doliis saginantur (V. III. 15, 1). Totum leporarium, quod intus habeat fontem vel adductam aquam vel lacum manu defossum, circumdari vult Columella (IX. 1, 2) muro vel caementicio vel latericio, quod si non convenit, saepe saltem clatrata, quae fiat truncis defixis transversisque ad eos amitibus.

Nunc quoniam enumerando et, ubi nostri sunt copiosiores, planius describendo omnes perlustravimus villae partes, quae quidem necessariae, non fortuitae videantur, pervenimus ad postremam rei propositae partem, in qua comparando colligamus scriptorum praecepta et, semperne eadem fuerit villae dispositio, consideremus. Atque scriptores nostros, qui quidem uberius describant villam, non repugnare plerumque inter se, sed posteriores ea tantum adicere, quae suae aetatis maior elegantia et luxuria priori usui addiderit, iam in prima quaestionis nostrae parte explicavimus. Accedit quod, qui unus vestustiorem et simpliciorem habitum rusticae villae nosse videtur, hanc non describit neque ex praeceptis eius, quae agro colendo et fructibus curandis maxime serviunt, quidquam potest colligi. Qua re non neglegendam putavi Vitruvii auctoritatem.

Sed elegantiorem vitae usum adiecisse invenimus ad urbanam villae partem balnea potissimum et omnino hanc, cum fuisset certe in parvis prisci temporis agellis cum rustica coniuncta, iam nostrorum aetate ab rustico apparatu discretam politioris in dies cultus cepisse incrementa. Neque aliter in rustica parte se habere videtur. Quo maiores fiebant fundi, eo latius patere rusticum tractum necesse erat. Hac de causa, quas partes ab initio unum tectum continuisse videtur, eae excluduntur paulatim ex hoc uno tractu, ut propria efficiant aedificia. Armentorum stabula, apium alvearia, columbarum receptacula, quae prius commemorantur fuisse in ipsa villa, iam extra eam suo quaeque loco constituuntur. Novas cum assumpserit posterior aetas necessitates, novae exsistunt animalium educationes, variarum et rariorum avium exstant ornithones, leporaria recipiunt plurima ferarum genera, quin etiam ‚pelagii greges' coguntur in piscinas.

Sic habebant Romani, ubi otio se darent neque, ibi desiderabant urbis elegantiam et remoti erant ab undis civilibus atque insidiis.